


3 + 4 / 84

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 46

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	öS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	öS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Rumor Varius illud proverbium celebre, quod dicit variatio-
nem homines delectare sequens semper aliquid novi fert.
Certus sum vos libellum 1+2/84 legentes animadvertisse
paginas fasciculum tegentes colore novo aëneo ornatas
esse. Qui color novus, dum annus manet, omni fasciculo
manebit; Christina Portner enim, moderatrix nostra et
impressum et dispositionem rerum publicandarum curans
ineunte anno putavit colorem paginarum fasciculos tegentium
in singulos annos mutandum esse, quo singuli tomi inter se
facilius discernantur. Cui sententiae plane consentio;
spero vos quoque, cari legentes, consentire coloremque
novum vobis placere.

Ab anno ineunte non modo colorem externum libelli mutavi-
mus, sed etiam formam, quā lineae omnis partis ratae
impressae compositae sunt. Certe animadvertistis nunc omnes
lineas eadem longitudine apparere. Fortasse miramini,
quomodo hoc fieri possit? Est aenigma facile solvendum:
Habemus novam electricam machinam scriptoriam, quam Rumoris
Varii sponsor, Societas Academicorum (cui nomen AKAD),
domui editoriae ad usum liberum emit. Quae machina admit-
tit, ut ratae partes uni fasciculo imprimendae quasi
alimenta primum sibi impleantur; deinde machina ipsa curat,
ut omnis symbola formā linearum inter se longitudine
aequalium componatur; postremo ipsa vi electricā mota omnes
ratas partes singulis paginis imprimit! Nisi tempore
viveremus, quo res innumerabiles arte electronica perfi-
ciantur, dicerem tale opus mirabile perfici non posse nisi
deis adiuvantibus!

Quia variatio delectat, huic praesenti libello interum
symbolas inter se maxime diversas impressimus. Cuicumque
legenti aliquid novi, aliquid lectu dignum ferat! Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

De capillorum cura apud viros Romanos

Paulus: Marcum optime eccum! Quo tu tam celeri gradu tendis?

Marcus: Salvus sis, Paulo! Negotiola quaedam alio me vocant. Iam tonsoris tabernam peto.

Paulus: Hodie otium ago, optime. Comitabor igitur te.

Marcus: Optatus ades, amice. Hanc viam ingrediamur! Non sunt nisi sex passūs. Paulo post adulescentes tonstrinam Fabii tonsoris intrant.

Multi viri in scamnis sedentes operam tonsoris éxigunt. Dum exspectant, tempus confabulando terunt. Narrant fabellas, referunt sermunculos urbanos, utuntur facetiis.

Interea Paulus Marcusque spectant instrumenta, quae et in tonstrinae pariete pendent et in mensulis posita sunt. Vident forfices, cultros, novaculas, volsellas, calami-stros, specula, testas unguentis impletas.

Viri Romani sane comam barbamque diligenter curant. Ratio comendi varia est. Nunc tonsor capillos forficibus strictim tondet, nunc per pectinem (halblang). Nunc capillos ad cutem radit, nunc cincinnos varie effingit.

Fabius tonsor bona negotia agit. Haud omnibus tonsoribus tabernae sunt.

Multi eorum sub divo artem exercere debent viatoresque clamando alliciunt. Ecce Fabium ipsum! Iam barbam senis digni cultro tonsorio radit, dum Laelius cinerarius capillos viri elegantis calamistro flectit. In tonstrinae angulo puer novaculas cote acuit. Senex festinans Fabium ungues resecatum arcessit. Tonsores quoque ungues curare solent. Marco aequo animo cura tonsoris exspectanda est. Fabius enim extra ordinem non tondet. Itaque adulescens in scamno assidit et exemplum virorum ceterorum sequens tempus confabulando consumit.

Barbara Maier

Tria carmina Iosephi Tusiani

DE FINE AESTATIS

Aéostas lánguida nós extrémá lúce salútat,
Térram hominésque suó mítis amóre tengéns.

Salve, aestás! Pia máter, avé! Grati sumus omnes
Nós peritúri, nós praéda futúra hiemis.

Párce mihí, fatúm qui dúrum saépe vocávi,
Húius súpreamí néscius aúgurií!

Quám tenera et pulchra és! Soláris mé moribúnda,
Víta indúta nová tótaque fésta paténs.

Éxemplúm, Natúra, tuúm veneráns imitábor,
Quíd sit póst solém nóscere nón cupiéns.



INTRAT ANNUS MCMLXXXIV

Gens bibit, currunt crepitūs per urbem,
Luminum ardent in foribus coronae,
Alta vox vocem sequitur profundam:
"Sit bonus annus!"

Temporis latam Plateam cadente
Excitat fulgens globus actione.
Plurimae voces repetunt strepentes:
"Sit bonus annus!"

Nemini notae in vocitante turba,
Histrionum instar pariter cachinnant
Anxiae Parcae comitante Marte:
"Sit bonus annus!"

CANTUS MATUTINUS

Tepens Aurorae flumen
Quod affers ad me lumen
Vitae supernae, omen
Dei amicitiae,

Submerge me in unda
Lustrali et iucunda
Ut anima sit munda
Imago laetitiae,

Et omnes res viventes
Ac morituras gentes,
Volentes aut nolentes,
Imple luce casta,

Libertas sine metu,
Gaudium sine fletu,
Tempus vivendi laetum,
O Veritas vasta!

Iosephus Tusiani

(Cum doleam illum felem "Pfuri" mortuum esse, tamen mitto hos commentariolos quasi in spem temporis futuri, quoniam et ego per aliquot menses eram orba, nunc vero fele nomine "Fränzi" rursus delector.)

HORA FELICULAE

Mane voces meae meant ad aures ancillae; cum magis magisque clamo, aperitur mihi ostium, ut foras eam. Statim mures olfacio, audio pipilantes. – Negotia centum! – Mille pericula! Assultat ille niveus terror vicinia "Schnurrli", illa nigerrima "Strega", ille caniculus latrans, ut ego cauda solum pulsem, retroversae haereant aures, stant comae tergo sublato.

A fenestra "Veni, mea Miagolina!" serva susurrat.

Nolo.

Est mihi arbor adscendenda, sunt ungues acuendi, stomachi causa herbae rapiendae, arbusta visitanda. Iam vocat denuo, semel, bis, ter, quater.

Nolo.

Est mihi mus capiendus, avis insidianda.

Iam illa prodit, scilicet ad illam viam ferream profectura. Consiste. Noli me deserere. – Ut redeat. Cuncta omittat! Quid curo cursus horarios, lectiones scholares!

Iam volo redire.

Quae magica! Iam sum intus, sola, sed satiata. Guttore imo resono velut cum fila fuis currunt. Tempus lavandi, tempus somniandi.

Vesperis: concrepuit ostium, audiuntur voces humanae. Quid? Hospites denuo? Ergo non primas partes agam. E culina, quam dulces odores! Sed spero frustra: Non mihi paratur cibus odoratus.

Dum garriunt nugas, quadrupede neglecto, ego clam peto conclave. Hoc mihi voluptas est: Adscendere vela, aulaea. Velo scisso iam pendeo ex aulaeo, librata hinc illinc ut perpendiculum volo. Sed fuge, convivae propinquant!

"Considite, quaeso, iam omnia sunt parata."

Quid nunc humanis oculis occurrit, quid implet aures? In mensa crepitat tota supellex. Sub tegimento serpitur, vasa evertuntur, lagenae vacillant tremore.

Digitis cauti levant tegimentum, quos ego mordeo inhians acutis dentibus. "Ecce mostellum!" Iam pedem meum album protendo, modo retraho. Iam nasus meus rubicundus apparet, auriculas rufas ostendo, viridissima lumina micant, erepo: tricolor larva, belua saeva, tigris barbata, e faucibus hisco.

Risu conclave resonat.

"Ut tu semper ludificaris, furcifera, facinorum machinatrix!" Quis dixit "facinora"? Quid sibi vult? – Age vero, eam in culinam, si forte lances perlambere possim.

Aluid erat in votis, maius, multo magis tremendum.

Iam sufficit. Est dies bene actus et ex praeceptis felinis. Quisquis es: Cave felem!

via ferrea	Eisenbahn	cursus horarius	Fahrplan
tegimentum	Tischtuch	faucibus hiscere	fauchen
fila currunt fuis	"man sprint/es schnurrt"		

Ursula Urner

Cantemus, o amici!

Cum nuper inter arma, ubi non leges tantum, sed etiam omnis cultus humanus fere silet, versarer, nocte quadam frigidissima vigilans, i.e. sclopeto manibus capto ante portam castrorum stans, coepi versus componere, ne obdormiscerem. Desiderio patriae imbutus id carmen in linguam Latinam converti, quod olim prope vicum meum, quem Palusterium nomino, compositum est. Ea de causa hoc carmen, quod Helvetogermanice "Lueget vo Bärge und Tal..." inscribitur, quasi cantus "nationalis" Palusteriensis factum est.

Montes et, ecce, valles...

(Lueget vo Bärge und Tal...)

1. Montes et, ecce, valles
lucens iam fugit dies,
umbrae in campis et pratis
crescunt iam ecce, opacis.
Tantum in montibus stat
sol glacies (1) derubrat (2).(*)
2. Lacum in altum specta!
Domum eunt pecora.
Cloccas vaccarum laetantes
audi in pratis sonantes;
quae nobis gaudio sunt
cordaque reficiunt.(*)
3. Silens iam nox advenit,
Deus sed nos custodit.
Vide hanc stellam lucere!
Stella, tibi invidere
licet infixo caelo!
Salvæ et bene esto!(*)

4. Nobis respondet: "Et sum
Dei ob auxilium!
Pater, qui omnes creavit,
ut non cadam (3), me paravit.
Pater, ops mea et spes!"
Stella, ut valeas, cures!(3)

- (1) Akk.Pl. (2) röten
(3) konsekutiv, mit Folge in der Gegenwart, daher nicht an die Consecutio gebunden.
(*) bis cantandum!

Martinus Meier

Facete lepideque dicta

Non in eodem cubiculo dormio

Vir quispiam doloribus penetrabilibus dentium affectus amicum interrogans: "Nam mehercule, inquit, et tute, amice mi, tantosne habes dolores dentium?" Tum amicus: "Id, inquit, reapse nescio!" - Tum primus: "Quid ita? Cur id scire non potes?" - Tum denique amicus: "Id re et veritate" inquit "scire non possum, nam egometipse non in eodem cubiculo dormio in quo dentes mei quiescunt!"

* * * * *

Deo gratiae habendae (sunt)

Pedisequs Iohannes mane in cameream comitis introit dicens: "Oh, mi comes, perperam seu perverse te in lecto iacentem video!" Tum comes Bobbius (Graf Bobby): "Deo revera gratiae habendae (sunt), mi pediseque, si res ita se habet, sunt solum pedes qui dolent. Egometispe iam caput mihi dolere cogitavi!"

* * * * *

O quae mutatio rerum

"Omnium rerum interim facta est commutatio perfecta, interea versa sunt omnia!" registrator officii registrationum (Standesamt) lamentatur, "nam quondam homines fortasse inter se non amaverunt, sed tamen nuptias fecerunt, hodie at contra homines fortasse inter se amant, sed nuptias non faciunt!"

* * * * *

Conubia re et veritate dubiosa

Alter: "Conubia felicia hodie omnino non iam inveniuntur!"
Alter: "Quid ita? Nonne coniugium parent(i)um tuorum felicissimum dici potest?"
Alter: "Sic, re et veritate, sane quidem, dici potest, sed in conubio non sunt coniuncti!"

* * * * *

Insolentia inaudita

Iudex quaesitor: "Quid (causae) est cur birotam atque adeo in sepulcreto publico es furatus, scelerate?"
Fur: "Veniam, iudex mi spectatissime, abs Tete peto, sed possessorem iam mortuum fuisse bono animo sum opinatus!"

* * * * *

Sermones revera ianes

Alter: "Quomodo autem vales, amice mi? Iamne bene vales denuo?"
Alter: "Bene revera non, sed iam melius valeo!"
Alter: "Bene est, quod iam denuo melius vales!"
Alter: "Gratias tibi ago, sed melius fuerit, si bene valerem!"

AMICUS



Dulcis Recordatio

Est Scylacei hortus fecundus ubique citrorum
Pellena et fluvio lambitus irriguo.
Spirat continuo e terra fragrantia lenis,
Et fontis laeto murmure lympha scatet.
Res cunctae - mirum! - tanta pietate refulgent
Ut nihilo desint dona decora lyrae.
Hic languens pectus rapide dulcedo penetrat
Et sonitu lepido mens mea devehitur.
Hic utinam possim suspiria fundere pacis
Praebere et somno lumina perpetuo.



Melos Nocturnum

Dum harmoniam spargit caelestis regia miram,
Stellarum promptam carmine melliflugo,
Illic cuncta sonant arcana et candida tantum
Nil ut sit mea vox prae aethereo eloquio.
Nunc solum, ante Eos noctem quam vincat amoenam
Et caeli lyricas divitiae perimat,
Dulce mihi est oculos operire et fingere mundum
Ordo ubi pax summa et vita venusta patet.
Nunc solum pondus curarum extinguitur urgens
Atque levem ducit me super astra melos.

Laurentius Viscido



S O L V T I O N E S

aenigmatis, quod vobis
in RVMORE VARIO 1+2/84
proposuimus, hic demon-
strantur:



¹ M	² A	³ R	⁴ I	⁵ N	⁶ A
² A	S	I	N	O	S
³ R	I	G	A	B	O
⁴ I	N	A	N	I	T
⁵ N	O	B	I	L	I
⁶ A	S	O	T	I	S

Aenigma

ad libram


- 1 asina parva
- 6 gubernata!
- 7 ... quid nimis!
- 11 ... habet impluvium
- 13 maior est quam calathus
- 15 accusata
- 16 an nosco ... ipsum?
- 17 ..., qui
- 19 Musa

- 22 lacus (Latii)
- 24 ignavus nihil est
- 25 Imperator atrox ille
- 27 manducata
- 28 genius domesticus
- 30 domina liberti
- 32 haruspex inspicit ...
- 33 Amphitryonis servus

1	2	3	4		5	
6					7	8
		9			10	
11	12					
	13					14
15					16	
17				18		
		19	20		21	
22	23					
	24					
25						26
27				28	29	
30			31			
		32				
33						

ad perpendiculum

- 1 ... virumque cano
- 2 per ...
- 3 Nympha Numae
- 4 Zephyrus, ventus ...
- 5 constans nonmutat
- 8 qua itur, ... et ego.
- 12 ... faciunt collegium
- 14 .. diu expectamus
- 15 in fluvii
- 18 servi missi sunt
- 19 "elephanto" ornatis
- 20 capite ... homo est
similis calvo
- 21 aurum ... myrrha
- 23 vulnerata
- 25 Cornelius
- 26 influit in Rhodanum
- 28 regiones
- 29 vetula
- 30 quod male olet
- 31 ... publicae
- 32 Pronomen demonstrativum



Hoc aenigma composuit

Ursula Urner



Seminaria Latinitatis Vivae

Cari legentes,

simili modo ac anno praeterito anno quoque 1984^o seminaria moderabuntur, quorum participes non currenter tantum Latine loqui discant, sed etiam tempore libero, i.e. in cenando, in natando inque qualibet actione inter se Latine colloquantur. Moderator non modo doctissimus atque linguae Latinae modernae peritissimus, sed etiam vir magna hilaritate, humanitate, affabilitate praeditus erit Pater Dr. Caelestis Eichenseer Saravipontanus (aus Saarbrücken).

Seminaria erunt tria: Selestadii in Alsatia (Schlettstadt im Elsass) seminarium erit inter dies 22. et 28. mensis Quinctilis sive Iulii, Bottropii in Rhenania Vestfalica (Bottrop in Nordrhein Westfalen) inter diem 29. mensis Quinctilis et diem 11. mensis Sextilis sive Augusti, Vestendae autem in Belgio (Westende in Belgien) inter dies 18. et 25. mensis Sextilis.

Quisquis seminario cuidam interesse studuerit, se veritat velim ad inscriptiones infra indicatas:

VOX LATINA		Martin Meier
Universität FB 6.3	aut	Nassegasse 14
D-6600 Saarbrücken		CH-3302 Moosseedorf



Graecorum philosophorum sententiae

Interrogatus, quid sit amicus, Aristoteles respondisse fertur: "Una anima in duobus corporibus habitans."

* * * * *

Socrates uxori querenti et dicenti: "Iniuste capite damnatus es", respondit: "Num me iure capite damnatum esse malis?"

* * * * *

Eruditionem in rebus secundis decus, in rebus adversis confugium esse Aristoteles dixit, et radices eius quidem acerbis, fruges autem dulces esse.

* * * * *

Socrates in quaestionibus disputans saepe deridebatur vel nonnumquam ictu pugni feriebatur. Quae omnia aequo animo ferebat. Cum a quodam calce(1) percussus(2) esset, amicis tolerantiam eius mirantibus: "Quid enim", ait, "si asinus me calce impetivisset, num illi diem dixissem?"

* * * * *

Indignantem quendam ac moleste ferentem, quod in aliena terra moreretur, Anaxagoras his dictis consolatus est: "In omni loco idem est ad inferos descensus."

* * * * *

Cum Anaxagorae ab Atheniensibus in exilium misso quidam dixisset: "Atheniensibus privatus es", ille: "Non ego illis", ait, "sed illi me."

* * * * *

Aristoteles, cum interrogaretur, quid sit spes, respondit: "Somnium vigilantis."

* * * * *

Maledicentem hominem Aristippus effugit. Conviciatori eum sequenti et dicenti: "Cur fugis?" "Quoniam", inquit, "tu maledicendi potestatem habes, non audiendi ego."

* * * * *

Aliquando Aristippus Corinthum navigabat; tempestate orta navis undis iactabatur, et maximus terror philosophum

invasit. Cuidam dicenti: "Nos indocti non metuimus, cum vos philosophi trepidetis." "Non enim", ait, "pariter digna est anima, cui utrique tmeamus."

* * * * *

Ratiocinabatur(3) hoc modo Diogenes: Omnia deorum sunt; sapientes vero deis amici sunt; inter amicos autem cuncta communia sunt: Ergo omnia sapientium sunt.

* * * * *

Interrogatus, quo differant docti ab indoctis, Aristoteles: "Quo viventes", ait, "a mortuis."

* * * * *

Anacharsis, ille philosophus Scythicus, cum interrogaretur, quanam naves securissimae essent, "Eae", inquit, "quae in litora subductae sunt."

* * * * *

Cum aliquis ex Aristotele quaesivit, cur diu cum eis, qui forma praestant, una esse cupieremus, "Caeci est", ait, "taliam quaerere." Pulchritudinem vero deorum donum esse putabat.

* * * * *

Antisthenes, cum aliquando a malis hominibus laudaretur, "Me miserum", ait, "metuo, ne forte quid mali fecerim."

* * * * *

Roganti, cur philosophi semper ad divitum portas versarentur, Aristippus respondit: "Medici quoque ad aegrotorum portas versantur. Tamen nemo aegrotare mavult quam medicus esse."

* * * * *

Olim ab aliquo colaphum(4) accipiens Diogenes "Mehercle", ait, "nesciebam mihi galea munito ambulandum esse."

* * * * *

Lucernam accensam die circumferens Diogenes ambulabat et "Quaero", inquit, "hominem."

* * * * *

Interrogatus, quomodo nos erga amicos gereremus(5), Aristoteles: "Quo nos ipsi", ait, "volumus illos erga nos se gerere."

* * * * *

Non secundum constitutas leges sapientem rem publicam administraturum, dixit Antisthenes, sed secundum virtutis rationem.

* * * * *

Extendente diutissime recitationem homine docto Diogenes, cum tandem ultimam illius scripti paginam videret, audientibus: "Bono animo este, viri", inquit, "terram conspicio."

* * * * *

Garrulo(6), qui multas ineptias effutiverat(7), interroganti: "Num te obtudi(8)?" Aristoteles: "Nullo modo", ait, "nam animum non advertibam."

* * * * *

Amentiae esse, dixit Antisthenes, triticum a malis herbis separare, bello viros non aptos discernere, furciferos autem a gubernatione rei publicae non excludere.

* * * * *

Bias, unus ex septem sapientibus, navigans cum hominibus impiis magnam in tempestatem incidit. Cum impii a deis auxilium implorarent, "Tacete!" inquit, "ne dei animadvertant vos hic in nave esse."

* * * * *

Ideas suas explicanti Platoni et de mensae essentia(9), quam "mensalitas"(10) nominabat, disserenti Diogenes: "Quid ad me attinet, Plato", ait, "mensam quidem video, mensalitatem autem nullo modo." Tum Plato: "Haud mirum. Oculi enim, quibus mensa videtur, tibi sunt; mens autem, quo mensalitas intellegitur, tibi deest."

Daniel Weissmann

- | | |
|----------------------|-----------|
| (1) calx, -cis, f. | Fuss; Huf |
| (2) percutere | treten |
| (3) ratiocinari | folgen |
| (4) colaphus, -i, m. | Ohrfeige |

(5) se gerere	sich betragen
(6) garrulus, -i,m.	Schwätzer
(7) effutire	herausschwätzen
(8) obtumbere, -tuli	belästigen
(9) essentia, -ae,f.	Wesen
(10) mensalitas, -atis.f.	"Idee des Tisches"



Ante ternas trilogiae partes legendum

Duo sunt modi, quibus commentariorum actorumque diurnorum moderatores uti possunt ad laetificandos suos scriptores redactores consuetos et occasionales:

Unus ex his duobus modis consistit, propitium si sit et ubi sit spatium, in pervulgando auctoribus viventibus redactorum scripta.

Alter modus, ubi auctor non vescitur pane, sed, ut caelicolae, ambrosia et nectare divino, consistit in pervulgando redactorum scripta quae nominantur scripta posthuma, additis etiam consentaneis verbis ad defunctorum honorandam memoriam.

Qua igitur de causa ego, qui imperterritus et indomitus feliciter procedo ad computandum octogesimum tertium aestivalium meorum temporum - malo verum per aestivalia tempora aetatem meam computare quam per irremeabilia vernalia - operam meam tibi mitto, quae inscribitur

"Domestica Tellus", trilogia in tres partes divisa (de pueritia, de adolescentia, de virilitate), ut facias quidquid velis.

Antoninus Immè

Domestica tellus

Apologia Solaris:

Nativae meae telluris praecipuum signum est SOL. Non summum sidus illud quod illuminat et vivificat omnia in terris, sed lumen illud tantum quod ex hortulo domestico meo contemplari poteram et cum eo, ego puer, silenter loqui, attonitus quod SOL ipse nulla voce respondebat, sed tamen multa responsa dabat animo puerili meo.

Mihi enim puerulo SOL oriri videbatur ut mecum colloqueretur ideoque singulis matutinis horis ante SOLIS ortum in hortulum currebam ne ei taedio esset mora ignava mea. Parentes mei adsidue constanter fere quotidie me educaverunt monuerunt a mea infantia et a mea prima pueritia docuerunt ad recolendum amandum venerandum SOLEM quia est optimus puerorum valetudinis curator et medicus sine amarum medicamentis.

Ubi discipulus in lyceo fui, intellexi et Horatianum hymnum "ALME SOL" et illum Metamorphoseon versum: "SOLIS regia sublimis est in caelo alta columnis", et intelligere quoque potui quomodo tot homines primitivi adorare solerent DEUM SOLEM omnium viventium fecundatorem et protectorem et quomodo primores INCAS ad SOLEM honorandum deprecandum sacrificia gessissent ad impetrandam SOLIS protectionem benignitatem pietatem; et nuperrime adultus intelligere potui qua de causa SOLSTITIALES dies fautores essent ad letalia impia acerrima bella gerenda.

Hic noster demesticus hortus parvus erat et omnino ad orientem aperiebatur et uber quoque erat. Ex eo enim pater meus legumina olera pomaque trahebat quibus familia tota

una cum pane furfureo quotidie vescebatur. Nam pater asseverabat quo magis furfureus esset panis, niger durusque, eo magis eum protegere valetudinem eamque tutari a morbis, praesertim a diabeta.

In illo hortulo erant nonnullae inscriptiones applicatae in variis arboribus, protectae ab intemperie in metallicis pyxidibus ex vitro quarum legi poterat quaedam sententia quarum unam saltem memoria teneo: "Fert casiam non culta seges totosque per agros floret odoratis terra benigna rosis."

SOL! Nullum aliud vocabulum homines invenire poterant quam SOL ad significandam VITAM, ad dicendum vitae gaudium, vitae studium, vitae ingenium, vitae iucunditatem et si mortales multiplices et contorti volventibus annis facti sunt.

Domestico nostro hortulo prospectus vere amplissimus et amoenissimus erat, quia situs erat in planitie e summo colle ad orientem SOLEM declinante. Visus ex ea errabat iucundissime a laeva manu a nivosis cacuminibus igniferi montis Aetnae et a dextera usque ad "Plemmyrium undosum", qua transit Aenea errans, usque videlicet ad introitum magni Syracusani portus. In ima prospectus parte albae spumosa Siculo maris elucebant undae vibrantes fluctuantes.

Montes vallesque Aetnaeos mirantibus urbes urbiculae pagi viculi elucebant et villae villulaeque surgentes e mari. Aetnaei viculi omnes inter nigra castanearum nemora splendentes una vocabantur nomine: ACI. Acireale, Acicate-na, Aci Sant'Antonio, Acicastello, Acitrezza in illius fabulosi ACI memoriam qui nymphae GALATEAE arcanus flagrans amator, quem poeta noster Carducci in suis immortalibus carminibus cecinit.

Ex imo pelago eminent rupes illae - et hodie quoque inspiciuntur - quas Polyphemus furiose iratus adversus Ulixem fugientem iecit, unico oculo propter Ulixidis calliditatem defraudatus.

Multis recentibus nostris praeclaris narratoribus argumenta narrationum Aetnaei viculi dedere, ut exempli gratia Ioanni

Vergae, illius magnificae narrationis auctori quae inscribitur "I Malvoglia", Friderico De Roberto, qui historice scripsit "I Vicerè", Herculi Patti qui facetam fabellam scripsit "Giovannino", et ceteris et ceteris.

Obscuris nigris tenebrosis nimborum pluviosis autem diebus in meo solitario cubiculo solitarius manebam prigriscens. Illis tristibus obscuratis diebus ego contra SOLEM irascebar propter eius ignavam moram ad mecum colloquendum, e fenestris acutis oculis inspiciebam num fortuito mediis in nebulis quoddam SOLIS umbratile simulacrum appareret.

Iniquis his diebus, quibus hortulum adire non poteram, parentibus vetantibus ne aegrotarem, puerilis ignara mens mea per totum diem adsidue de inter SOLIS lucem et tenebrosam obscuritatem contentionibus controversiis belliosis meditabatur, de inter luminosas solares diurnas et nigras nocturnas horas hostilitatibus, de inter aurorae splendentis et vespertini diluculi temporis fragmenta variationibus, ideoque pergrate mihi erat LUNA quae contra obscuritates nocturnas pugnabat, venatoribus propitia, ut socia casta immaculata SOLIS particeps fausta. Ubi pervolutis annis LUNA humanis pedibus foedata est, CASTA nostra LUCINA arcanam castitatem amisit.

De floribus et de primo munere meo:

In nostra domestica tellure angulus secretus erat ubi pater meus magna cum diligentia et sollertia flores nonnullos caute alebat, non quod flores ei placebant - etsi meae genitrici gratissimi erant - sed avunculi sui causa. Genitoris mei avunculus presbyter erat qui templum Sancti Antonii Patavini dicatum curabat meliorem quam poterat in modum, quia senissimus erat. In nostro pagulo Sanctus Antonius Patavinus protector pisonum habebatur et dies festus tredicesimo Iunii die celebrabatur magna hominum frequentia. Nam pistorum privilegium erat ferculum sancti per paguli vias ferre in alternantibus eorum humeris varias cantiunculas canentium.

Illa enim tempestate in Sicilia frumentum iam sectum erat et collectum, quo novo frumento molitores multos nummos se carpturos sperant.

Ideoque facile intellegitur flores nostri hortuli pertinere ad ornandum altare et ferculum Sancti molitorum Patroni. Facile quoque intellegitur munus meum fuisse flores ad templum ferre et manum avunculi patris reverenter basiare. Et facile etiam etiamque intellegitur me hoc munus libenter gessisse quia laetus accipiebam paucos nummos ut pretium muneris mei. Haec opera mea multum profuit nobis: nam - ut pater meus summopere sperabat - ubi avunculus presbyter obiit, per testamentum magnum agrum reliquit patri, qui hoc modo fere dives factus est et potuit igitur curare educationem et instructionem meam. Ita ego per octo fere annos incolui in ephebeo modo Syracusano, modo Romano, usque ad licentiam lycealem (maturitatem classicam) quam obtinui magnis votis.

De mansione Romana mea in Salesianorum congregationis collegio "Sacro Cordi" nuncupato, in via Marsala, prope ferriviarum stationem Termini sito, plura scripsi quae nostri huius commentarii moderatoris, honorabilis Fanelli, gratia et benevolentia in fasciculo 4^o, anni 1983, diligenter impressa edita sunt.

Studiorum universitas iucundissima:

Catinense "Siculorum Gymnasium" conditum a Friderico Secundo Rege et Imperatore Panormitano totius Siciliae, qui poeta scriptor maecenas opulens et generosus fuit, me accepit inter Goliardicos turpissimos faseolos.

(Narratio sequetur in proximo libello)

Antoninus Immè



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3 + 4 / 84

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 46